



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 44. lidem tota Normannia pulsi

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

**Sæcul. XV.** decretoriæ discrimen declinaturi. Verum  
**A. C. 1450.** Connestabilis comperto Anglorum recessu, rivum trajicere tentat, pontem ab Anglis occupatum aggreditur, omnique ex parte hostibus instat, ac vi ad fluvium retroactis, tandem post trium horarum certamen fugam infert, & promiscuam cladem. Francorum exercitus vix ad tria millia & quingentos armatos ascenderat, Anglis ultra septem millia numerantibus. Joannes Chartierus narrat, cecidisse Anglorum tria millia septingentos septuaginta quatuor, quorum corpora in quatuordecim prægrandibus fossis humata fuere; Capti vero Victoribus cesserunt mille quadringenti, quos inter potissimi erant Kyriellus, Henricus Norberius, Thomas Druic Kyrkebius, Christophorus Auberchonus, Joannes Arpelles, Paschierus Gobert, Canevilla & plures alii. E Francis nonnisi octo desiderati dicuntur.

*Joan. Chart.  
 in Hist. Char.  
 VII. p. 197.  
 & 198.*

## §. XLIV.

*Angli tota Normannia pulsi.*

**C**arolus VII, qui in inferiori Normannia agebat, parta hac victoria, ceteras urbes, quæ adhucdum Anglis parebant, occupare, omnesque hujus Nationis Viros Regno penitus pellere, facili negotio potuit. Connestabilis quidem Viriam cinxit,

cinxit, cepitque, quam urbem sibi a Re-  
 ge donatam pleno dominio suo vendica-  
 vit. Comes Claromontius Bajocas, &  
 Britanniae Dux Abrincam suis subjecere  
 armis; Valonia, Briquebecium, Tombe-  
 lanæ castrum haud procul a Monte S. Mi-  
 chaelis situm, S. Salvatoris oppidum, ce-  
 teraque omnia circumvicina loca Victo-  
 rum arbitrio cesserunt. De his tam fe-  
 liciter gestis Rex per universum regnum  
 solemnibus supplicationibus Deo gratias  
 agi decrevit. Guillelmus quoque Char-  
 terius Parisiensis Episcopus supplicatio-  
 nem memoratu dignam instituit, in qua  
 duodecim millia puerorum, atque puel-  
 larum, ætatis septem usque ad undecim  
 annorum, singuli facem ceream manu ge-  
 stabant, binique ab Ecclesia Sanctorum  
 Innocentium ad S. Mariæ procedebant,  
 sequentibus Sacellanis, sacras Reliquias  
 deferentibus.

§. XLV.

*Cadomus urbs a Connestabili  
oppugnata.*

In tota Normannia non nisi Cherobur-  
 gum, Donnifrons, Falesia, & Cadomus  
 Anglis reliqua fuere, quæ tamen omnes  
 munitissimæ erant arces, ac validis in-  
 structæ præfidiis. Galli primo Cado-  
 mensem urbem, quam Dux ipse So-  
 mersetus cum quatuor Anglorum milli-  
 bus